

mi, sed omnino cædi oportebat: quorum tantum adipe igni tradito, & sanguine ad basim Altaris effuso, reliquum Sacerdotibus cedebat (i). Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emisisset, impuros haberi oportebat: quarti anni, omnes Deo consecrandi; à quinto vero anno eorum usus permittebatur (k).

Pro iis, quos sibi Deus ex universis primogenitis Israelis reservaverat, Tribum Levi substituit (l); & quibus familiae Aaronis Sacerdotio demandato, reliqui inferioribus Templi & Sacerdotum ministeriis deputati sunt. Sacerdotum igitur ministeria circa Altare, Sanctum, & Sanctuarium versabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem Altari curabant: Levitarum, circa Templi fores, musicam, ac victimas, quas exoriabant, necnon circa ligna ad Altare afferenda.

In Sanctuarium aditus nulli præter Summum Sacerdotem, ipsique die tantum Expiationis Solemnis, permissus [m]. Ea dignitas tum criminibus puniendis, cum Religionis rebus curandis summam in unum auctoritatem conferebat (n). Ad illam vero assumi oportebat virum, cujus pater virginem foemina, & ejusdem Tribus, atque generis duxisset (o). Ipsum vero ab omni corporis vitio purum esse oportebat (p). Nec sanè aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; siquidem Summus Sacerdos insignibus suæ dignitatis indutus, per Urim, & Tummim quæ in Rationali gestabat, Dei nomine contentibus respondebat (a). Neque funera lugere, excepto tamen patris, neque vel locum ingredi, ubi cadaver jaceret, ne quid impuritatis contraheret, permittebatur [b]. Hæc tamen Lex cum Pontifice arduissima, aliis inferioribus mitior erat; siquidem vulgò Sacerdotes parentum, filiorum, & fratrum funeribus (c), non tamen extraneorum, neque etiam Principis, assistebant: Levitas vero iis omnibus, quibus cæteros Israelitas, adesse fas erat. Quo temporis spatio Sacerdotes Templi servitiis occupabantur, ab uxoribus, & vino temperabant, studiosè ab omnibus sese observantes, ne quid unquam impuritatis contraherent (d). Eorum vestis religiosa, qua in Templo tantum Sacerdotes utebantur, tunica erat linea talaris (e), femoralibus, cingulo, & capitis operimento itidem lineis adjectis; quæ sanè vestis Levitis etiam communis fuit. Comam minimè nutriebant, uti neque barbam in labio superiori: pedibus erant nudis in Templo (f), ubi & cibum, & somnum capiebant.

Pontifex splendidiore sanè veste utebatur. Femoralibus [g] lineis, tenuitate, & opere spectandis: tunica alia superinducta, carulei coloris, simplici opere, ac fortasse non manicata, cujus fimbriam tintinnabula aurea, & malogranata variato opere contexta, alternè disposita ornabant. Hanc tunicam cingulus stringebat operis phrygii, & variati, cui nomen in S. Scriptura Ephod. Porro Ephod duabus fasciis splendidissimis constabat, quæ utrinque per humeros in anteriora descendentes, corpori deinde cir-

i Levit. 19. 23. &c.  
k V. 24. 25. 26.  
l Num. 3. 41.  
m Levit. 16.  
n Deut. 17. 12. 13.  
o Levit. 21. 13.  
p Levit. 21. 17. 18.  
a 1. Reg. 23. 9. & 30. 7.  
b Levit. 21. 10. &c.  
c Levit. 10. 6. & 21. 2. &c.  
d Levit. 10. 9.  
e Exod. 28. 40. 41.  
f Vide dicta ad Exod. 40. 29. 30.  
g Exod. 28.

cumductæ, ante stomachum vinciebantur, simulque fluentem tunicam continebant. Quæ verò fasciæ illæ ex humeris in anteriora descendebant, binæ gemmæ insertæ erant, sex utrinque nominibus Tribuum Israelis insculptæ: uti & quo loco ante pectus decussabantur, Rationale eminebat, nempe pannus ille quadratus 12. digitorum latitudine, duodecim gemmas singulis nominibus Tribuum Israelis insculptas præferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum foemina moribus inhonestis, sive prostituta, sive tandem ab altero repudiata, connubia inirent (h); si quæ verò filia Sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpotè quæ patris famam violasset, continuo igne damnabatur. In thure offerendo, alienum ignem adhibere Sacerdotibus nefas, quod Nadab, & Abiu vel morte expiarent (i). In sacrificiis sale quidem semper [k], oleo, & fermento nunquam (l) utebantur. Suis impensis & operâ panes propositionis conficiebant; quos singulis Sabbathis recentes mensæ aureæ in Sancto apponebant [m], veteribus remotis, de quibus comedere ipsis tantum fas erat (n). Insuper holocaustum perpetuum vespertinum, & matutinum, cum libationibus Sacerdotes sufficiebant (o). Vitia corporis, quæ à Sacerdotio, & vitia hostiarum, quæ à sacrificiis arcebant, in Commentariis recensentur [p].

Levitarum, & Sacerdotum proventus non agri quidem, & arva, quorum illis nulla assignata sunt, sed decimæ, primitiæ, oblationes, & victimarum participatio satis uberes exhibebant (a). Ne verò sedibus careant, 48. urbes, atque suburbana in circuitu, spatio 1000. cubitorum, pro domicilio assignata sunt (b). Domus illorum rusticæ eodem jure, ac cæterorum Israelitarum agri, vendi quidem, sed restituito pretio à Domino nunquam non redimi poterant; imò ne redemptæ quidem, anno Jubilæi ad pristinum dominum redibant (c). Ex eisdem urbibus, sex in asylum (d) iis, qui imprudenter hominem occidissent, destinatae erant. E toto numero 13. ad Sacerdotes spectabant; cæteræ ad Levitas (e). Semper ac farina aquâ subigebatur ad panem conficiendum, è tota massa portio aliqua pro Levitis jussu Dei segreganda erat: quam portionem majorem quadragesimâ, minorem sexagesimâ parte Rabini præscripserunt. Cum animal occidebatur, uterque humerus, ventriculus, & mandibulæ dono ad Levitas deferri solebant (f), neque sua portione, cum greges tondebantur, sive cum præda ex hostibus referretur, etiam si bello non adfuissent, fraudabantur (g). Adesse tamen bello semper Sacerdotes consueverunt, quorum munus erat, tubis clangere (h), solemnemque illas formulas coram exercitu recitare (i): *Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Si quando Arca Fœderis in castra reducenda erat, illius deferendæ atque custodiendæ negotium Sacerdotibus com-

h Levit. 21. 7. &c.  
i Levit. 10. 1. 2.  
k Levit. 2. 13. Num. 15.  
l Levit. 2. 11. m Levit. 24. 5. &c.  
n Matth. 12. 4.  
o Exod. 29. 38. Num. 28. 3. 4.  
p Levit. 21. 17. 18. & 22. 18. &c.  
a Num. 18. 20. 21.  
b Num. 35. 2.  
c Lev. 25. 32. d Num. 35. 6. Josue 20. 7. 8.  
e Josue 21. 19. &c.  
f Deut. 18. 3. 4.  
g Num. 29. 30.  
h Num. 10. 8.  
i Deut. 20. 3. 4.

committebatur (h). Nec rârè etiam Summus Sacerdos cum sacris ornamentis, Dominum de agendis consulturus, aderat.

Convivia nulla ferè five in Templo, sive in urbibus instituta, ad quæ Levitæ non accerferentur; quod quidem Hebræis Deus vicies in S. Scriptura commendat. *Cave, ait, ne derelinquas Levitam, qui in Urbibus vestris commoratur; neque enim habet aliam partem, & possessionem inter vos (l).* Decimæ illis non ex fructibus tantum sed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum fortè occurrisset, solvebantur (m); liberum tamen erat suam decimam oblatio pretio, & quintâ in super ejus parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis & decimis, pro Sacerdotibus decimæ segregabantur (n). Sacerdotes & Levitæ certâ ætate, nempe annorum 25. sive 30. ministerium inibant, atque annum agentes 50. illud dimittebant (o). Sub Davide 20. annis nati admitti cœperunt (p). In ministerio verò mutuo sibi invicem Sacerdotes Sacerdotibus, & Levitæ Levitis succedebant. Si Levita, relicta priori sede, ad Templum venisset, ut ejus servitiis se toto tempore impenderet, illum recipi, & ex proventus ejusdem Templi ali oportebat (q).

Levitarum, & Sacerdotum munus secundum à sacrificiis, erat populi institutio: quippè qui in coetu solemnè universæ gentis, die Expiationis, lectionem universæ Legis publicè obire tenebantur (a). Cum novus Rex inaugurabatur, ejusdem Legis volumen ab illis recipiebat, ac deinde in suum ufum transcribendum curabat (b). Si quid in judiciis arduum implexumque occurrisset res ad Sacerdotes deferrebat; eaque occasione Summi Sacerdotis sententiæ non acquiescere capitale erat (c). De lepra judicium (d), de expiatione homicidii, cujus author lateret (e), de divortio, de aquis zelotypiæ (f), de votis Nazarorum (g) ad illos spectabat. Tandem solemnè populi benedictio, atque Divini nominis super illum invocatio ipsis obtinebatur (h).

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocausto omnium perfectissimo tota victima, detractâ pelle, atque extis, adolebatur. In sacrificiis pacificis pro obtinendis referendisve gratiis, seu tantum pro asserenda Dei super omnia potestate institutis, sanguis tantum & adeps Deo, armi & petusculum Sacerdoti, reliquum offerenti sacrificium cedebat. In sacrificiis pro peccato, nihil offerenti, sed adipe extra continente, reticulo jecoris, & renibus igni traditis, reliquum Sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimum tauri erant, vacca, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ, & hædi; aves non nisi in expiatione hominis leprâ mundati (i), ejusque, qui juramentum imprudens transgressus fuisset (k), non adhibebantur: eaque occasione ex duabus avibus oblati, altera immolari, altera libera in auras dimitti solebat. Verùm peculiare de singulis sacrificiis ceremonias recensere operosum esset nimis; *Dissert. Calæct. Tom. I.*

k 1. Reg. 4. 4. & 14. 18. & 2. Reg. 15. 24. 25.  
l Deut. 12. 18. 19. & alibi passim.  
m Lev. 28. 30. 31. 32.  
n Num. 18. 26.  
o Num. 8. 24. & 4. 3.  
p 1. Par. 23. 24. & 2. Par. 31. 17. & 1. Esdr. 3. 8.  
q Deut. 18. 6.  
a Deut. 31. 10. 11.  
b Deut. 17. 18.  
c Deut. 17. 8. &c.  
d Levit. 13. 14.  
e Num. 21. 5.  
f Num. 5. 14. 15.  
g Num. 6. 20. 21.  
h Num. 5. 23. &c.  
i Levit. 14. 4.  
k Lev. 5. 6. 7.

quare prima Levitici capita consulantur.

Festa Israelitarum potissima, quibus ab anno 12. ætatis viri omnes adesse tenebantur, hæc sunt: Pascha, Pentecoste, & Festum Tabernaculorum. Nomen Paschatis, quod transitus redditur, ejus Festi institutionem designat: Angeli enim exterminatoris memoria recolitur, qui per Ægyptum transiens, relicto Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenitos occidit, ipsâ nocte exitus Hebræorum ab Ægypto (l). In ea Solemnitate manipulus hordei solemnè ritu in Templo offerebatur, veluti primitiæ hordeaceæ messis, statim à Festo colligendæ (m). Totâ eâ hebdomadâ panis non nisi azymus adhibebatur (n); ipsoque ineuntis Festi vespere, in singulis familiis, five 10. aut 15. convivis coactis, agno, hædove anniculo asso (o) cum herbis amaræ epulum instituebatur. Illud quidem non tam convivium, quam specialis ritus sacrificium erat, ad agendas Deo gratias, & ad memoriam liberationis ab Ægypto excitandam: quamquam sanguis tantum ad basim Altaris effundendus offerebatur. Cautum erat, ne hujus agni ossa ad extrahendam medullam comminuarentur. Alia erant hujus Festi sacrificia, quæ hoc loco recensere non vacat [p]. Porro si quis Pascha cum suis ceremoniis celebrare neglexisset, è populo exterminandus denunciatur (q): pro iis tamen, qui sive impuritatem aliquam legalem contraxissent, sive in itinere essent, à die 14. primi mensis, ad 14. secundi mensis differri poterat [a]; nec tamen quid de præscriptis ceremoniis quoad azyma, eorum gratiâ remittebatur.

Diebus 50. à Paschate, Festum Pentecostes recurrebat (b), oblatione duorum panum ex novo frumento, in signum messis statim colligendæ (c), solenne. In eo memoria initi à Deo cum Israelitis fœderis, Lege in Sinai traditâ, recolerebatur. Sacrificia à Paschalibus Deo oblatis non discrepabant (d).

Festum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40. annorum per desertum sub pellibus (e), tertium succedebat; quo, labente anno civili celebrato, simul & gratiæ pro obtentis à Deo toto anno beneficiis, collectiæque messibus, & uvis, referrebantur (f). Totâ eâ hebdomadâ populus sub tentoriis ex arborum ramis contextis, degebat. Sta- ta erant hujus Solemnitatis sacrificia (g). & prima anni civilis, Expiationi universæ gentis destinata, & jejuniis sacra sub poena mortis indicto, & poenitentia operibus (h), addicta & tandem peculiaribus sacrificiis, ac potissimum duorum hircorum (i); quorum alter liber dimittebatur, *Azazel* dictus, alter immolatus extra castra cremabatur. Eadem die Summus Sacerdos sanguinem vituli, atque hirci immolati in Sanctuarium inferebat; alterum ad lustrandum Sanctuarium, alterum ad populi expiationem (k). Eadem die immolari consuevissent credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in funeribus contractam expiabant.

Menfium calendæ festæ ducebantur, quam

l Exod. 12. 14. & 23. 15. Num. 28. 16. Deut. 16.  
m Lev. 23. 10. n Exod. 12. 19. 20.  
o Ibid. 8. &c.  
p Vide Num. 28. 19. &c. q Num. 9. 13. Exod. 12. 19.  
a Num. 9. 6.  
b Exod. 23. 16. & 24. 22.  
c Lev. 23. 17.  
d Vide Num. 28. 26. 27. celebratum cum 28. 19. 20.  
e Lev. 23. 40. 43.  
f Exod. 23. 16.  
g Lev. 23. 27. Num. 29. 12. 13. &c.  
h Num. 29. 7. i Lev. 16. 6. 7.  
k Num. 29. 16.

vis nulla esset his diebus indicta ob operibus requies. Statis sacrificiis (l), concupantibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies primi mensis anni civilis, & septimi anni sacri, quod anni introitus, præter alias caeremonias, tubis etiam denunciaretur, solemnitas tubarum dicta est (m).

**m Num. 29. 1.**  
Festum Sabbathi, ab ipso Deo post actum opus creationis (n) dedicatum, omnium S. Scripturæ vetustissimum est; quippe quod ejus observantiam Moyses, mox ab egressu ex Ægypto, antequam ad Sinai veniret, indixit (o). Ab operibus sub pœna mortis [p] jussu Dei vacandum erat; adeo ut neque ignem excitandi parandis cibis facultas daretur (q); vacandum verò erat & ipsis mancipiis, brutisque: omnes enim ejus diei curas obsequiis & laudibus suis, Legisque meditationi Deus volebat impensas (r). Nec deerant, uti in reliquis Festis, peculiaria sacrificia (s).

**n Genes. 2. 2.**  
Præter solemnitates per anni cursum recurrentes, intrâ unius ad summum hebdomadae fines conclusas, aliæ post certam annorum periodum, atque longiori temporis spatio continuatæ celebrabantur. Harum potissima annus erat Sabbathicus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, & quidquid sponte produxissent, advenis pauperibus, & orphanis (t), quin & brutis ipsis permittere jussi sunt. Ad hæc, servi Hebræi manumittebantur [a]; aris alieni remissio (b), Legisque solemnitas lectio fiebat (c).

**o Exod. 16. 23. 29.**  
**p Exod. 31. 15. Num. 15. 32.**  
**q Exod. 35. 3.**  
**r Exod. 20. 6. s Num. 28. 9.**

**t Exod. 23. 10. 11. Lev. 25. 1. &c.**  
**a Deut. 15. 2. b Exod. 21. 2. c Deut. 31. 10. 11.**

**d Levit. 5. & 8. &c.**

**e Deut. 57. 14. 20.**  
**f 1. Reg. 8. 11.**

Quibus quidem jussionibus Deus, licet politiam nonnihil negligere visus sit, studiosè tamen æquandis bonis, & conditionibus apud Hebræos, ac infirmorum oppressoribus consulere; quin & labentem jam ex hominum mentibus creationis Mundi memoriam eâ ratione refricare, simulque suæ in populum autoritatis specimen exhibere voluit. Eodem consilio, singulis 50. sive potius 49. annis, Jubilæum (d) instituit, in quo non vacatio tantum ab agrorum cultu, manumisso fervorum, arisque alieni remissio, sed possessiones atque hereditates ad veteres Dominos regrediebantur. Ejus anni ingressus circa mensem Septembris, (quo etiam tempore clauderetur) solemnibus caeremoniis, ac tubarum clangore indicabatur. Hoc sanè monumentum Deus extare voluit suæ in universam gentem ac regionem potestatis; quamvis, ne infirmos alioquin populi animos plus nimio tentaret, pro neglectis integri anni proventibus, sexto, & quadragesimo octavo quoque anno tantundem messis se largitutum pollicetur, ut ad triennium sufficiat.

Quæ Moyses Regibus, fortè ab Israelitis eligendis, præscribit (e), longè alia sunt, ab iis, quæ Samuel *ius Regis* appellat (f). Porro Rex, juxta Moysen, è medio populi, non ex alienigenis, ita Deo præcipiente, & populi suffragio eligendus erat. Vetitum illi, ne equitum numerum augeat; neve populum illis emendis in Ægyptum regredi cogat; foeminarum gregem, quippe quibus cor facile avertitur, ne innutriat;

comparandis divitiis ne studeat, caveatque, ne tumido in fratres sit animo. Denique exemplar Legis apud se non in manibus tantum, sed & in corde retineat, eamque sibi agendi normam præscribat. Samuel verò jus Regis Israelitis explicans dixit, illum filios Israelis aurigas & præcursores suis curribus, quin & suos equites facturum. Ad hæc alios Tribunitiâ, & Centurionis dignitate donaturum, alios ad metendos ferendosque suos agros, nec non ad arma curruisque suos fabricandos coacturum. Fulionis verò, & culinæ ministeriis, conficiendisque unguentis filias Israelis addicet. Servis suis ditandis, pinguiores Israelitarum possessiones in illos transferet. Nihil erit tandem, sive ex mancipiis, sive ex junioribus, sive tandem ex jumentis, in quos ipse manus non injiciat violentas, eo jure, quo sibi ex gregibus decimas, & populum universum in servitutem afferet.

Bellum, quod potissimum erat Regis munus, non æquo jure cum singulis hostibus agendum erat; aliâ enim ratione cum Chananæis, aliâ cum cæteris curandum. Quibus bellum indicendum erat, æquis antea conditionibus pax offerebatur (g); renuentibus bellum denuntiabatur. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obsidio, contra quam propterea turres & aggeres, pro more illorum temporum, struendi essent, cautum erat, ne ullæ arbores frugiferae, sive arva cæderentur. Si armorum vi tandem expugnaretur, contra viros quidem victorum iram exercere fas erat: foeminae, pueri, bruta, & utensilia in victorum potestatem, deinde toto exercitui distribuenda, venire debebant. In urbibus Chananæorum omnia, quæ vitam haberent, unâ clade involvebantur (a).

Si collatis signis certandum fuisset, ante prælium Sacerdos, Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat (b); deinde Duces, suæ singuli turmæ, elatâ voce regressum indicabant iis, qui sive novam domum ædificassent, seu vineam novam plantassent, vel tandem novam nuptam duxissent; durum enim nimis futurum videbatur, si fortasse in bello decedentes, partas suis laboribus possessiones, ne tantillo quidem obtentas, ad alienos transmittere cogerentur. Post hæc, coram universo exercitu (c) formidolosus omnibus, ut se à periculo subducerent, potestas concedebatur, ne suo exemplo in alios terrorem inducerent.

Relata ex hostibus spolia Imperator inter milites æquè dividebat, nullo facto discrimine inter eos, qui decertassent, eosque qui remansissent ad sarcinas (d). Quin Moyses relatâ ex Madianitis prædâ, populum universum in agro Madianitico tunc versantem, & unâ cum cæteris militibus exercitum ex tota ratione constituentem, caruisse non tulit. Antequam spolia in castra reducerentur, præviâ purificatione expiabantur hoc ritu: Metalla, & si quæ alia ignem paterentur, flammâ, cætera verò aquâ expiationis lustrari oportebat. Foeminae alterius, quàm Chananæorum generis, in potestatem victorum captivæ cedebant

g Deut. 20. 11. &c.

a Deut. 20. 16. 17.

b Deut. 20. 2. & 25. 5.

c Deut. 20. 8.

d Vide Deut. 31. 27. & 1. Reg. 30. 24.

bant (e); & quibus siquam herus uxorem ducere voluisset, post abrasos ejus crines, amputatos unguis, detractas vestes, cum quibus capta fuit, concessumque integri mensis luctum, pro amissione parentum, defendâ, statim sibi copulabat. Si verò succedente tempore, eam tandem uxorem fastidisset, illum manumittere cogebatur.

Sua etiam prædâ portio erat Dei, & Sacerdotum; ac in bello cum Madianitis ex singulis quingentis tam mancipiorum, quàm pecudum, quæ militibus cessissent, singula sibi reservari; ex prædâ verò, quæ reliquo populo contigisset, quinquagesimam pro Levitis pendit Deus injunxit. Sua etiam erat in spoliis, ac selecta portio Ducis, uti de Davide (f), & Gedeone (g) constat; ac in bello contra Madianitas, Duces Israelitarum armillas, & annulos aureos ex hostibus acceptos Deo exhibuerunt, fortasse tanquam Ducem, & Imperatorem universæ expeditionis eâ oblatione illum agnoscentes (h).

Discipline militaris in castris Israelitarum non segner ratio habebatur; & quem in disponendis Tribubus circa Tabernaculum in castrametationibus per desertum, quem etiam in professionibus ordinem servaverint, constat (i). Sordibus ablegandis, plura constituta erant, nempè ut foeminae abessent; imò si quis imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxisset, ille extra castra usque ad vesperam se continebat; nec nisi aquâ toto corpore & vestibus lotus (a), regredi permittebatur. Singuli milites paxillum cingulo appensus ferebant, ut scrobem excavarent, cum de castris egrediebantur, ut naturæ necessitatibus succurrerent. Post prælium, totâ hebdomadâ milites, upotè contactu castrorum polluti, à castris abstinebant (b); ante regressum verò totum corpus, & vestes aquâ eluebant, quod in bello contra Madianitas fecimus, & in aliis observari consuevisse non dubitamus. Verùm si ab universis prælium commissum fuisset, tunc contractâ ab omnibus legali impuritate, alter alterius confortium vitare non tenebatur: quare omnes simul in castris versari potuissent.

De Hebræorum politia pauca novimus. Ea quæ ad justitiam administrandam pertinent, ac de præcipuis illorum Tribunalibus, in Dissertatione de hoc argumento egimus. Judicandi potestas summa penes Reges, & Summum Sacerdotem erat: hinc illud populi ad Samuelem: *Constitu nobis Regem, qui judicet nos* (c). Summum Sacerdotem in arduis quibuscumque supremum Judicem Moyses constituit (d). Præterea sui erant singulis Judices urbibus, seu urbium portis, juxta phrasim S. Scripturæ (e), (is enim erat Judiciorum locus); eosque summa veneratione observari Moyses jussit. *Dis non detrahes, & Principi populi tui non maledices* (f). Porro Principes, Judices, & Magistratus eodem ac Deus nomine *Elohim* nuncupabantur (g); illi siquidem veluti Dei administrati, & assessores habitii sunt.

Cautum est ne Judicia venalia fiant,

e Deut. 21. 10. &c.

f 1. Reg. 30. 9. g Judic. 8. 24.

h Num. 31. 49. 50.

i Num. 2.

a Deut. 23. 10. &c.

b Num. 30. 19. &c.

c 1. Reg. 8. 5.

d Deut. 16. 10. &c.

e Deut. 16. 18. f Exod. 22. 28. g Psal. 81. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos [sive Deorum] adjuvat.

paraesque Judices habeant à muneribus manus, quippe quia justitia muneribus facile corrumpitur (b); turbam in deterius non sequantur (i), nec Vulgi sententiæ æquitate dispendio accedant; ne præpostera in pauperes misericordiâ, sive in divites obsequio, à justitiæ tramite exorbitent; ne infontem, sive advenam fraudent; neve tandem cujuscumque personam respiciant (k); pater pro crimine filii, & vicissim filius pro scelere patris non puniatur (l). In pœnis exigendis summum jus evitetur; quare neque post Solis occasum reorum cadavera in supplicio appensa relinquenda (m); neque fuisse, sive ad virgas damnatis, ictus ultra 40. inferendi [n]. Si qui in crimine falsi testis deprehendantur, ejusdem criminis rei habendi, quod fratribus imputarunt (o); vitamque pro vita, oculum pro oculo, omni quoad illos clementiæ aditu præcluso, pendere cogantur. Verùm reis supplicio damnandis non unius tantum, sed duorum triumve testimonium postulandum (p).

Judicandi filios usque ad Legis promulgatæ ævum, penes solos parentes jus erat: quod quidem Moyses deinde in Judices ita transfudit, ut reos violati in parentes obsequii, sive verbo (q) sive percussione (r), sive contumaciâ & proterviâ (s), solâ eorumdem parentum delatione accusatos, ultimo supplicio puniendos jussit: quamquam nihil contra parricidas, quasi contra rem, quæ evenire nequeat, in Lege præscriptum est. Cautum est parentibus, ne filios in cultum Moloch per ignem traducant (a); filiis verò, ut parentibus per omnia obsequantur (b). Necessitate ad extrema cogente, filios in servitutem vendere patri permittitur; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, sed uxores sibi vel filiis suis comparare censebantur (c); secus, illas manumittere cogebantur. Parentes fanè filias in matrimonium vendere consueverunt, undè foemina emere, & cum illa matrimonio copulari, pro eodem usurpabatur.

Homicidii crimen capitale erat [d]. Urbes asyli tres citra, totidem ultra Jordanem iis, qui imprudenter hominem peremissent, confugium præstabant. Qui ad asylum se recepisset, causam suam coram Judicibus loci dicebat (e); deinde propinquis occisi postulantibus, ad locum cædis, datis custodibus, remittebatur: ubi causâ discussâ, si crimen Judices deprehendissent, in potestatem partis adversæ remittebatur; si verò cædes imprudenti contigisse probaretur, iterum ad urbem asyli remittebatur, ubi se usque ad obitum Summi Sacerdotis ita continere debebat, ut extra urbem deprehensus, impunè à propinquis occisi interfici potuisset. Porro Leges illæ non de Israelitis tantum, sed de advenis etiam latae sunt. Crimen homicidii, nullâ concessâ pœnæ remissione, morte puniebatur, vel à propinquis occisi inferendâ, si fortè in occisorem incidissent; nec pecuniâ vitam redimere, neque illam arâ religione defendere hujus criminis reus permittebatur (f).

h Exod. 23. 8. i Exod. 23. 2. &c.

k Lev. 19. 5. Vide & Deut. 16. 18. &c. l Deut. 24. 16.

m Deut. 21. 22. n Deut. 5. 2. 3.

o Deut. 29. 18. 19. Vide & Levit. 19. 16.

p Deut. 19. 16. 17.

q Levit. 20. 9. r Exod. 21. 15. s Deut. 21. 18. 19.

a Lev. 18. 21. & 20. 1. 5. Deut. 18. 10. b Exod. 10. 12.

c Vide Exod. 21. 7. &c.

d Exod. 20. 13. & 11. 12. 13.

e Num. 35. 23. 24. Deut. 19. 10. &c.

f Exod. 21. 14. Si